


BIBLIOTEKA
Z. N. im. Ossolińskich

III-20637-17



Sum
mum.

V. Cathemerinon

I
C
T
E

C

E

A.
Or
S. T

Rev
E

Mun

*
C

645

Perillustris

17



IN NOMINE DOMINI AMEN.
**CONCLUSIONES
THEOLOGICÆ
Menti Divi THOMÆ**

Angelici & Ecclesiæ Doctoris

C O N F O R M E S

Publicæ Disputationi

In Regali Archicænobio Tynecensi
Congregationis Benedictino-Polonæ

*Publicæ
Disputationi*

*Publicæ
Disputationi
Ejusdem*

E X P O S I T Æ.

Præsides

Ejusdem

A.R.P. FRANCISCO STARZENSKI
Ordinis Sancti BENEDICTI Congregationis Ejusdem
S. Theologiæ actuali Professore, Professo Lubinensi.

Propugnantibus suo ordine,
Reverendis ac Religiosis S. Theologiæ Auditoribus
Ejusdem Ordinis ac Congregationis Professis,
In numerosa Illustrissimorum Hospitum frequentia

Annò quo

MunDo Cœlestis gratiæ ac sapientiæ inextinctū Lumen IlluXit.

Die 13. Mensis Junij



CRACOVIAE TYPIS UNIVERSITATIS.



2.685

MEMORANDUM
IN
MONTIVIVAE
ROMA

In Prima

In una parte una omnis subijet v. legere

XVIII - 20637 - IV

PRa
ver

AD
&

QU
seu fo

DA
in
Salisb
vat c

SCi
tia

FU
mi
Decre
nato.

DA
substa

PR
fu

DE
ta
Sed e
cam:

Imm

EXTRACTATU

De DEO Uno & Trino.

I.

PRædicata contradictoria de Natura Divina & Personis juxta fidem verificabilia, verificantur de iisdem immediatè & ratione sui.

II.

AD illa salvanda à Chymericitate, non datur inter Naturam Divinam & Personas ulla distinctio realis actualis.

III.

Quare neq; datur distinctio realis actualis simpliciter. Neq; mediata in tercio. Neq; demum distinctio actualis realis secundum quid, seu formalis ex natura rei Scotistica.

IV.

Datur tamen inter præfata extrema, imo & inter ipsa Attributa adinvicem comparata, distinctio virtualis intrinseca in sensu nostrorum Salisburgensium Doctorum explicata, quæ sufficienter probabiliter salvat contradictoria in Divinis.

V.

Scientia Divina dividitur in scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam Visionis.

VI.

Futura contingentia absoluta cognoscit DEUS in Decreto prædeterminativo. Futura autem contingentia conditionata, cognoscit in Decreto libero suæ voluntatis, subjectivè absoluto, objectivè conditionato. Adeoq; non per scientiam mediam.

VII.

Dantur in DEO decreta ab intrinseco efficacia prædeterminativa causæ secundæ ad operandum, & causativa in ejus actibus liberis, tam substantiam, quàm modum libertatis.

VIII.

PRædestinatio strictè accepta, sive Electio Beatorum ad Gloriam, facta fuit independenter à prævisis meritis.

IX.

DEUS est simplicissimus, hinc excludit omnem compositionem, non tantum Physicam: ex materia & forma, ex subjecto & accidente. Sed etiam Metaphysicam: ex natura & subsistentia. Tum deniq; Logicam: ex genere & differentia.

X.

Immensitas Divina, est prima radix ubiquitatis Divinæ.

XI.

Formaliter autem DEUS est præsens ubique, seu in omnibus rebus & locis creatis, per operationem suam virtualiter transeuntem.

XII.

Quia itaq; in spatijs imaginarijs nihil actu operatur, idcirco in ijsdem actu realiter non existit.

XIII.

PRæterita, Præsentia & Futura sunt realiter physicè DEO præsentia in æternitate.

XIV.

SI Spiritus Sanctus per impossibile non procederet à Filio, realiter non distingveretur ab Illo.

EXTRACTATU

De Incarnatione Verbi Divini.

XV.

Incarnatio fuit conveniens DEO, Personæ Verbi, naturæ humanæ assumptæ, Generi humano, totiç, demum universo.

XVI.

Non datur in DEO necessitas moralis absoluta antecedens strictè talis, ad producendum extra se optimum respectivè tale, etiam illud ipsum, quod hic & nunc judicatur magis esse conveniens, sive bono creaturæ rationalis, sive manifestationi suæ Divinæ Gloriæ; Quare nequè ad Incarnationem Verbi Divini sic necessitabatur DEUS.

XVII.

Peccatum moris ut sic est: Exercitium creaturæ rationalis liberum dissonum positivè primæ Regulæ morum.

XVIII.

Porro regula prima morum, idq; primitate ultimo resolutoria moralitatis, est ipsamet natura rationalis libera, ut talis operantis.

XIX.

Inhærendo Doctrinæ Angelici 2. 2. Q. 71. A. 6. ad 5. dicentis: A Theologis consideratur peccatum, secundum quod est offensa contra DEUM à Philosopho autem morali, secundum quod contrariatur rationi; benè dividitur peccatum: in Philosophicum & Theologicum.

XX.

Peccatum formale purè Philosophicum absolutè non repugnat. Est offensa DEI simpliciter. potest esse mortale dissolvens amicitiam DEI, & æterna pœnâ dignum.

XXI.

Repugnat tamen peccatum formale purè Theologicum.

XXII.

Peccatum Theologicum formale etiam mortale, non est simpliciter infinitum in ratione offensæ personalis Divinæ; licet habeat quamdam infinitatem ex infinitate Divinæ Majestatis. Tantò enim offensà est gravior, quanto Major est ille in quem delinquitur.

XXIII.

Nulla tamen pura creatura potest condignè satisfacere pro peccato; quare ex suppositione volitæ condignæ satisfactionis, DEUS necessitabatur ad ponendam Incarnationem.

XXIV.

Actiones Christi satisfactoriæ condignificatæ à Persona Verbi, sunt satisfactio ex se & ab intrinseco condigna, imò valoris simpliciter infiniti.

XXV.

Vi præsentis Decreti Christus non venisset, si Adam non peccasset.

XXVI.

Probabiliùs repugnat meritum compensativum, cum ad meritum propriè tale non sufficiat; quod sit causa præcisè finalis, sed requiratur ut sit causa moraliter effectiva sui præmij.

XXVII.

Natura humana in ante peccatrix non potuit assumi à Verbo Divino, quare Humanitas Christi ex suppositione electionis suæ ad Unionem hypostaticam peccare non poterat. Idem probabilissimè sentimus de Maternitate DEI.

XXVIII.

Ad hoc: ut MARIA sit in rigore Thèologico verè & propriè Mater DEI, neq; sufficit neq; requiritur omnino, quod produxerit physicè efficienter instrumentaliter obedientialiter unionem hypostaticam, licet fortè probabiliùs est: quod eandem unionem sic effecerit suprafata Sanctissima Virgo.

XXIX.

Humanitatem Christi non sanctificat formaliter sanctitas relativa Filij, seu propria Filio, sed sanctitas communis absoluta.

XXX.

Humanitas assumpta à Verbo, est formaliter & proximè impeccabilis, etiam ratione ipsius unionis hypostaticæ, idquè tam in sensu composito, quàm in sensu diviso & diviso præfatæ unionis.

b

Ex

EXTRACTATU

De Gratia Divina.

XXXI.

AD omnem actum salutarem in præfenti providentia eliciendum, requiritur auxilium Gratiæ Divinæ supernaturalis.

XXXII.

Auxilium intrinsecum Gratiæ actualis saltem primæ, non consistit formaliter in operationibus vitalibus intellectus & voluntatis, seu in Sancta cogitatione & pia affectione.

XXXIII.

Ast consistit in quadam qualitate fluida, viali, habente se per modum motionis.

XXXIV.

Omnibus hominibus confert DEUS auxilia sufficientia ad salutem. Quare etiam reprobis, etiam infideles, etiam in sylvis enutriti, hujusmodi auxilijs non destituuntur.

XXXV.

Tritum illud Axioma: Facienti quod est in se, DEUS non denegat suam gratiam, non debet intelligi de faciente quod est in se viribus naturæ, ast de faciente quod est in se viribus gratiæ.

XXXVI.

Gratia efficax in ratione efficacis, non constituitur formaliter per liberum consensum voluntatis creatæ. Neq; efficacitas Gratiæ desumitur ex eo: quod attemperetur libero arbitrio taliter vel taliter disposito. Neq; demum ex eo: quod detur eo tempore, quô DEUS per scientiam mediam prævidit illam infallibiliter habituram consensum ejusdem liberi arbitrij.

XXXVII.

Sed Gratia efficax est ab intrinseco & ex sua natura talis, infertq; infallibiliter consensum voluntatis creatæ.

XXXVIII.

Gratia sanctificans per se ipsam & independentem à favore DEI extrinseco, constituit formaliter hominem Filium DEI adoptivum.

XXXIX.

Cum peccato mortali habituali in præfenti statu naturæ elevatæ contracto nullatenus simul stare potest.

XL.

Sicut à reliquis habitibus infusis virtutum sive Theologicarum, sive moralium, ita & ab habitu charitatis distinguitur realiter eadem Gratia sanctificans.

EXTRACTATU

De Virtutibus Theologicis.

XL I.

Objectum primariò terminativum Fidei Divinæ, est DEUS sub ratione primæ veritatis in essendo. Jam verò objectum formale quo seu motivum ejusdem, est veracitas DEI revelantis.

XL II.

Licet itaq; Revelatio Divina activè sumpta, ingrediatur constitutivè præfatum motivum Fidei Divinæ, non tamen illud ingreditur sic Revelatio Divina passivè sumpta.

XL III.

Quare neq; auctoritas Conciliorum, neq; auctoritas Ecclesiæ etiam ut infallibiliter directæ à Spiritu Sancto, ingreditur constitutivè prædictum motivum Fidei Divinæ; ast tantùm se habet permodùm conditionis applicantis hocce motivum.

XL IV.

Fides Divina quantum ad assensum rebus revelatis, bene resolvitur ex parte motivi in primam veritatem revelantem. Jam verò quantum ad propositionem credendorum, resolvitur in auctoritatem Ecclesiæ, tanquam regulam infallibilem ac discretivam revelatorum à non revelatis.

XL V.

Revelatio privata ex parte personæ tantùm, sufficit ad eliciendum actum Fidei Theologicæ. **XL VI.**

Non tantùm revelatio formalis, verùm etiam revelatio virtualis, sive illa sit: vi cujus unum tanquam pars continetur in alio formaliter revelato; sive illa sit: vi cujus unum ob necessariam connexionem cum alio formaliter revelato, deducitur mediante discursu ex eodem alio, pertinet ad objectum formale motivum Fidei Divinæ.

XL VII.

DE fide est hæc propositio universalis: Omnis Romanus Pontifex legitimus, est Divi Petri Successor & Vicarius Christi.

XL VIII.

Adeoq; de fide quoq; est: modernum Benedictum XIV, esse verum Papam, potestq; id credi fide Divina supernaturali.

XL IX.

Ille qui per Divinam revelationem absolutam certò sciret se esse damnandum, nec potest, nec teneretur amplius sperare suam Beatitudinem.

L.

Actus Fidei Divinæ potest in eodem intellectu, circa idem objectum materiale, compati actum scientiæ naturalis, saltè alicujus.

Ad M. D. G. B. V. S. L. C. H. SS. P. B. S. M. S. DD. A. A. B. B. T. A.

OOq; SS. Cultum.

Omnes Panegyres sunt numero 47. Et Dialogus scriptus.

U T A I C A T U

U T A I C A T U


XI

XIX

XXI



*61/2
16*



3161

6162
76

